



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,  
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione  
Et Anima

**Młodzianowski, Tomasz**  
**Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Disputatio II. De causis in communi comparativè spectatis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

per verum & realem influxum determinat ad existendum. Moralis autem causa est, quæ consulendo, imperando &c. influit in effectum. Alia autem est causa instrumentalis. Alia principalis, de quibus ubi de Efficienti. Deinde alia est causa per se, & alia per accidens ex secundi Physicorum tex. 33. Causæ per se dicuntur, quæ causant effectum, quæ tales, ut dum musicus cantat. Causa autem per accidens est, quæ non nisi conjungitur cum eo, quod est causa, vel contingenter influit in effectum. Denique alia est causa proxima, alia remota. Remota est quæ medio effectui à se producto influit. Proxima autem, quæ immediatè influit. Hinc insurgit difficultas: An causæ remotæ sint verè causæ. Distinguit Oviedo & dicit, causam remotam dupliciter se posse habere, primò, ut producendo effectum, medio, quo agit illum, tamen non conservet, & sic Abraham avus, Patrem Josephi

Jacobum, non conservabat; Secundò, causa remota vel actu producit, vel actu conservat effectum, medio quo agit & hanc causam, dicit esse veram & propriam causam, non verò priorem. Ratio ejusdem. Quotiescunque effectus ita dependet à causa, ut sine illa, vel vices illius suppleto, subsistere non possit, illa causa est per se influens, si enim per accidens influeret, subsisteret effectus illa non subsistente, vel non posita, loco illius alià, & ita ædificium subsistit, si musicus ædificet; respectu enim ædificii, musica per accidens se habet; jam autem mortuo avo, nullus defectus suppletur in generatione nepotis. Quando verò calor in igne productus, producit alium calorem in aqua, ignis respectu illius secundi caloris, est verè causa, quia illo deficiente & non suppleto per alium ignem, deficiet calor in aqua receptus. Vide de hoc Oviedo.



## DISPUTATIO II.

### De Causis in Communi comparative spectatis.

**D**isputabitur hinc imprimis de Causis conjugatim acceptis per ordinem ad effectus; An scilicet idem effectus à pluribus causis produci possit? rursus de causis inter se comparatis: An scilicet una aliam causare possit?

#### QVÆSTIO I.

*An duæ causæ eundem effectum causare possint.*

**P**otest procedere quæstio: An duæ Causæ conjunctim, possint eundem effectum causare; deinde an possint divisim. *Sic*

#### DIFFICULTAS I.

*An duæ causæ divisim, eundem effectum causare possint.*

**PRÆMITTO I.** Non esse difficultatem de causalitatibus, si ille sunt modalitates distinctæ, quod quæ causalitate agit unum, agens eadem numero non possit agere aliud.

**RATIO** est. Sunt enim essentielles determinationes, vi quarum habet hoc agens, ut agat. Si ergo non sit hoc agens, jam illud determinare non poterit illa Modalitas.

**PRÆMITTO 2.** Esse difficultatem de insit Causis, an scilicet eum effectum, idque eundem nume-

ro, possit alia causa causare, non quidem Primam sed Secundam. Quæ quæstio videtur esse independentem à mente Aristotelis tractanda; nam si ille agnovit causam primam, omnia ex necessitate agere, multò magis id sensit de causis secundis, quod necessariò sint ad hos effectus determinatæ, & ex proportionem, quòd hi effectus sint ad has causas determinati, idque clarè indicat octavo Metaph. tex. 12. & secundi Physic. tex. 36. & quamvis ille agnovit causas, & æquivocas, & per accidens, non agnovit tamen causas per accidens in isto sensu: quòd possint causare effectum, quem aliæ causæ causant, sed in isto sensu; quòd non per se influant in effectum. Æquivocas item causas agnovit isto sensu; quòd eminenter contineant perfectionem suorum effectuum in eo genere, in quo illos causant; sed non agnovit, quòd contineant cum vi, quemcunq; similem numero producendi effectum, ita ut sit quidè in causa æquivoca vis com-  
producendi eundem effectum, unà cum univoca causa, non tamen divisim ab illa.

**PRÆMITTO 3.** Non esse difficultatem de causis intrinsecis. An scilicet duæ causæ distinctæ, successivè eundem effectum causare possint. Indubiè enim non possunt. Ratio, quia cum effectus causarum intrinsecarum sit idem realiter cum ipsismet causis, si in re non sint eadem causæ, in re non erit idem effectus, adeoque à duabus causis intrinsecis etiam divisim, idem effectus causari non potest. Tota ergo difficultas

facultas est, de causis extrinsecis, præcipue verò de efficienti, an ex eadem etiam materia, ignem B. tam ignis A. quam ignis C. producere possit.

## Punctum Difficultatis I.

*Quid tenendum?*

**D**ICENDUM est I. *Vnus idemque numero effectus, à pluribus solo numero distinctis causis, potest naturaliter produci, etiam in iisdem numero circumstantiis loci, temporis, &c.* Ita Scotistæ contra Thomistas, & ex nostris Suarez contra Vasquez, præcipue circa circumstantiam loci aliud sentientem.

PROBARI solet ex Scoto. Deus ante prævisum peccatum originale, elegit individuos homines ad gloriam, qui in illa serie non fuissent geniti ex reprobis, qui nunc nascuntur ex reprobis. Ergo tunc causari fuissent, per alias numero causas.

RESPONDERI potest. Negando consequentiam, quia esse reprobum vel electum, sunt valde extrinseca individualitati, nec mutant individuum, potestque idem individuum, non esse reprobatum in uno signo, & in posteriori signo, reprobatum.

PROBAT 2. Suarez. Causa æquivoca, cum contineat totam speciem suorum effectuum, potest naturaliter eundem numero effectum producere, quem univoca. Ergo duæ causæ possunt naturaliter eundem effectum producere.

RESPONDERI potest ad salvandam rationem, Causæ æquivocæ, sufficere, quod quoad speciem eosdem effectus producere possit, quos producit causa univoca, quamvis non eosdem numero.

PROBARI potest 3. à Pari. Quos causa secunda potest producere effectus, eosdem numero potest producere causa Prima. Ergo & quos potest producere similes numero una causa secunda, poterit & alia.

RESPONDERI potest. Disparitatem esse, quia nisi posset omnipotentia eosdem effectus producere, quos producant causæ secundæ, hoc ipso non esset omnipotentia, potest autem salvâ suâ essentiâ, una causa secunda, non producere, nisi similes numero effectus. *Hinc aliter:*

PROBATUR 4. Conclusio, per principium negativum; Non implicat contradictionem, ut duæ causæ, numero solo distinctos, cæteroqui potentes producere effectus, producant etiam eosdem numero, nec est ullum fundamentum, cur de facto causæ, quæ exstant non sint tales; ergo. Dicere autem quod sint ex natura sua ad hos non nisi numero effectus determinatæ, est id merè arbitrarium, & sine fundamento fictum, cum oppositum ostendat extensio ad similes numero effectus.

CONFIRMATUR de causis v. g. ejusdem speciei. Vera est hæc Modalis; Necesse est causas easdem specie, posse causare effectus eosdem specie; alias different specie illæ causæ. Si verà hæc Modalis, ergo erit necesse quoscunque posse causare, quia propositio Modalis universalis explicari potest per descensum distributivum, adeoque poterit verificari quod possit & hunc, & illum, & illum effectum producere, & sicut cum dico, necesse est, ut id quod est speciei humanæ, sit rationale, sequitur, de omnibus particularibus id verum esse; ita ut intra speciem humanam nullus sit, qui non sit rationalis; sic intra speciem causativitatis eandem, nullus erit, qui non sit causabilis à causa contenta, intra illam speciem.

PROBATUR 5. Instantiis Theologicis. Christus qui de facto est, vel poterat venire in mundum, & tamen non esse filius Beatissimæ præsentis, vel non poterat non esse filius illius, supposito quod venerit: Si poterat non esse. Ergo aliquis effectus idem numero, potest à diversis causis oriri; Si non poterat non esse mater illius; Ergo & hæc, non poterat non esse mater illius; nam ista sunt correlativa. Ergo ulterius non liberè in Matrem hic Christus elegit, nec liberè in Matrem prædestinata est, nec fecisset sibi in hoc Deus magna, qui potens est. Docetur item, quod antiqui Patres accelerationem Incarnationis meruerint; quod verum non esset, si non hic Christus, sed alius acceleratus fuisset; alius autem accelerari debuit, cum idem effectus non possit esse in diversis circumstantiis temporis, per oppositum sentientes.

CONFIRMATUR. Suppono meruisse Beatissimam, ut esset Mater Christi, suppono rursus non meruisse illam id, nisi ex meritis Christi, qui nunc est, quo posito, sic formatur argumentum. In illo priori, in quo Beatissima non erat merita, ut esset Mater Dei, erat hic Christus. Ergo esse hunc Christum, non est produci ab hac Matre gignente illum: Supponitur enim esse hic, ante istas causas. Antecedens probatur, quia vel merebatur Materitatem ex meritis hujus Christi, vel non ex meritis hujus Christi: Si ex meritis hujus Christi. Ergo hic erat Christus, & nondum pro illo signo ex hac Matre. Si non ex meritis hujus Christi. Ergo bona aliqua participantur ab hominibus, ab aliquo alio Christo, quam à præsentem.

INFERTUR etiam, vi hujus doctrinæ sequi, quod hic mundus non potuerit citius creari à Deo, & quod Deus hanc particulam Materiam, quæ est in Oriente, non potuerit ponere in Occidente, siquidem ly esse hoc numero, pendet ab iisdem circumstantiis.

RESPONDET I. Vasquez. Potuisse supponi Christum hunc, & postea Beatissimam mereri ut esset Mater; quia in illo priori, poterat ex

Bea.

Beatissima fumere corpus, sine eo quod esset Mater; ut Eva sumpsit corpus ex Adamo, quin Adamus fuerit parens Eva.

CONTRA. Vel idem erat Christus, qui nec dum supponebatur esse filius Beatissimæ, vel non idem: si idem, Ergo illum eundem esse, non pendet à causa, quæ est Mater, nec ab his circumstantiis, habebiturque intentum; Si non idem, ergo meritis alijs Christi, merita est Beatissima, ut esset Mater hujus Christi.

RESPONDET 2. idem. In illo priori, ante meritum Beatissimæ supponebatur hic Christus, quia tamen liberè erat venturus, hinc Virgo & Maternitatem, & circumstantias merita est.

CONTRA. Christus liberè venturus ante illud meritum Beatissimæ, vel non erat hic, vel erat hic: si erat hic, Ergo ratio hujus potest salvari sine hac causa; Si non erat hic Ergo non tenes responsionem. Deinde Christum hunc, esse hunc, non est quid liberum; ergo si hunc esse, pendet à circumstantiis, sicut huic Christo, non erat liberum, ut esset hic, ita nec erat liberum, ut penderet ab his circumstantiis; vel certè si erat ei liberum esse in his circumstantiis, stante hoc, quod hic esset, sequitur; quod Hunc esse, non pendeat à circumstantiis.

DICENDUM est 2. *Quod supposita Divina ordinatione, pro presenti rerum ordine, una causa, non possit producere effectus numero distinctos, alius causa.*

PROBATUR Conclusio. Divina ordinatio non potest non impleri, sed datur divina ordinatio determinans hos effectus huic causæ. Ergo hæc non potest non impleri, sed si una causa poneret effectus alijs causæ, divina ordinatio non impleretur, ergo ponere una, alijs effectus, non potest. Factam autem esse illam ordinationem. Probat. Tum quia. Cum hoc cadat sub dominium illius, & sub providentiam, non est ratio, cur non defacto ita ordinaret, fieretque alijs aliquid, quod ut fiat, Deus non ordinaret. Tum quia indifferentia ad hos & illos effectus, necessariò per aliquod principium tolli debet; hoc autem aliud ostendi non potest, quam ipse Deus; in iisdem enim circumstantiis non repugnasset aliam numero entitatem poni. Tum quia, quamvis recurrere ad Deum, non sit Philosophicum, id verum est; si commodè ad causas secundas recurri possit. Et quia in alijs similibus tollendis indifferentiis, recurrimus ad Deum, cur non etiam in hac? Et certè ponamus causam A. ponamus effectus, B. C. D. ut prius ponatur effectus B. determinari non aliunde potest, quam ab ipso Deo, etiam supposito, quod nonnisi à causa A. produci possit. Ergo etiam ut potius ab hac causa, quam alia fiat, benè recurratur ad Deum. Per hoc tamen non negatur, quod causa seipsam ad effectum productivè determinet.

OBJICIUNTUR 1. Determinatio productionis hujus individui provenit à causa producente.

Ergo causa producens, non potest esse indifferens ad producendos plures effectus, quos sub se habet.

RESPONDETUR. Determinatio productionis hujus individui, materialiter provenit à causa, quia provenit determinatio quoad speciem à causa, ratio autem speciei, non distinguitur à ratione individui; sed non provenit hæc determinatio formaliter electivè, vel ordinativè.

OBJICIUNTUR 2. Paritates variæ.

PRIMA Paritas est. Hæc numero actio, petit ita produci ab uno principio, ut non possit produci ab alio. Ergo nec effectus, qui per illam actionem producitur, potest ab alio principio produci, quia actionum distinctarum, distinctus est terminus.

RESPONDETUR. Quando dicitur, quod distinctarum actionum distinctus sit terminus, id principium eo sensu est verum; quod nunquam ponatur actio, quin ei respondeat terminus; non verò isto sensu; quod eundem terminum, diversæ actiones ponere non possint, vel quod ad mutationem actionis numericæ, semper sit necesse mutare terminos. Quare autem actio non possit produci, nisi ab hoc principio; possit autem effectus ab alio simili principio produci. Ratio est, quia actio est essentialis determinatio, ut hoc quidem agens sit; non potest ergo aliud agens determinare, nisi hoc, est enim modus illa actio, vel non sine modo, jam autem definitionem effectus non ingreditur, ut sit hujus nonnisi agentis. Rursus, si vel semel concedatur, quod actio, quæ est modus, vel non sine modo, possit esse, & non esse hujus, debeat per aliud determinari, ut sit hujus; quod ipsum arguet, debere dari processum in infinitum, in determinationibus, quod non sequetur, si effectus ab alio simili principio producat. Arriaga disput. 9. Physica. Sect. 4. Subsect. 5. hanc disparitatem dat, quod effectus dependeat à causa, per aliam à se distinctam actionem, unde mutando actionem, potest jam ab hac, jam ab illa pendere causa; actio autem seipsa, & per suam essentiam dependet, ideo non potest ab hac alia pendere causa, alijs mutare suam essentiam.

SECUNDA Paritas est. Differentia specifica determinat certos specie effectus, ultra quos non potest producere alios effectus. Ergo differentia individualis determinabit certos numero effectus, quos, & non alios producere possit.

RESPONDETUR ex Pontio. Differentiæ specificæ, sunt dissimilis naturæ, & ut plurimum inæqualis perfectionis, hinc non possunt extendi ad rationes omninò dissimiles; jam autem causæ solo numero distinctæ, non sunt dissimiles.

*Solvuntur alie Objectiones.*

**O**BJICITUR 3. Causa per se influit in effectum. Ergo essentiale est huic effectui, dimanare ab hac causa.

**RESPONDETUR.** Causa non nisi hoc sensu per se influunt, quia causant effectum, quia tales, sed non eo sensu; quasi essentiale sit illis causare hunc effectum.

**OBJICIUNT 4.** Complutenses apud Pontium. Per hoc, quod individua sint ejusdem speciei, non habent in se invicem eandem naturam, sed similes naturas. Ergo, quod habeant potentiam activam ejusdem rationis, non sequetur, quod possint facere effectus eosdem, sed similes.

**RESPONDETUR.** Disparitatem esse, quia si eandem naturam haberent individua, & essent individua ut supponitur, & non essent, quia eandem individuationem & entitatem haberent. Si autem eosdem effectus producere possint causa, solo numero distincta, non sequetur illas esse easdem numero causas.

**INSTANT 1.** Differentia individualis non solum limitat essentiam in ratione essentiae, sed etiam in ratione potentiae, sed per hoc, quod limitat v.g. animam in ratione essentiae, facit, ut distinctum numero compositum nequeat constituere. Ergo etiam in ratione potentiae, ita limitabit, ut distinctos numero effectus, non possit producere.

**RESPONDETUR.** Disparitatem esse, quia si eadem numero anima, distinctum ratione sui faceret compositum, deberet ipsa à se, esse alia; non enim constituit compositum alio, quam se ipsa, ut potest causa intrinseca illius. Dixi, quod deberet ratione sui, distinctum compositum constituere; quia si uniretur materiae numero distincta, constitueret compositum, ratione materiae, inadæquate, aliud numero. Jam verò si eosdem effectus utraque causa numero distincta posset producere, non sequeretur illas causas esse easdem numero, quia distinctio causarum penes ipsas illarum entitates spectanda est, & non penes effectus, cum causae efficientes sint causae extrinsecae, suorum effectuum, adeoque numerum vel unitatem suorum effectuum non sequentes.

**INSTANT 2.** Ratio potentiae abstracta ab individuis, debet plus includere, quam ratio particularis potentiae, sed ratio abstracta potest causare quoscunque effectus illius speciei. Ergo particularis potentia, non potest eosdem causare.

**RESPONDETUR.** Negando majorem, quia ratio illa abstracta est entitas causae, prout deputata à differentiis, si est ipsa entitas causae, cum tota entitas seclusis differentiis in unaquaque

contineatur, tota etiam vis causandi in unaquaque continebitur, cum vis causandi sequatur entitatem, consequenter non plus poterit causare entitas illa depurata à differentiis, quam concreta, cum aliqua particulari differentia; & sicut quia in uno individuo hominis secundum entitatem specificam continetur tota ratio hominis, atque ratio ut sic hominis, est animal rationale, atque ipse Petrus; ita quia ratio agentis, est alligata ipsi entitati, sicut totam entitatem continet unum individuum, ita & continebit vini causandi quoscunque alios effectus, seipso excepto, quia hoc non cadit in potentiam naturalem. Deinde alia hæc est propositio, quod illa ratio communis, sit communis ad plura causativa seu causas, cum tamen ratio particularis, quæ talis, non sit communis ad plura causativa: & alia est hæc propositio, quod illa Ratio communis sit communis, plurimum causativa; & hæc propositio est falsa, non enim plus potest una similis causa, quam alia, nec omnes plus quam una, cum ob rationem adlatam singulæ adinvicem, ad eosdem extendantur effectus. Cæterum ut illa ratio sit communis ad plura causativa effectuum, id deposcit ipsa ratio universalis, ad causas, illi communi rationi competens.

**ADDIT PONTIUS.** Quod sicut potentia viviva in communi non potest plus videre, quam potentia in particulari: ita nec ratio abstracta causae à particularibus, plus agere poterit particularibus: totum ergo illud, quod plus includit potentia abstracta ab individuis, non est ratione terminorum, sed ratione multiplicabilitatis, per individua, quæ individuo non convenit.

**OBJICIT 5.** Vázquez & Valentia. Si productio hujus numero effectus, spectat ad causam primam, tanquam determinantem ad individuationem, sequeretur causam secundam non liberè, sed necessariò, quia ex determinatione operari.

**RESPONDERI** potest, imprimis retorquendo argumentum, quod probaret. Si à circumstantiis loci & temporis determinetur ratio individui effectus, cum hæ circumstantiæ à nobis non pendeant, fore illos actus non liberos, & tamen à circumstantiis docet Vázquez sumi individuationem. Deinde conformiter ad communem nostrorum doctrinam, sic responderetur. Quod Deus ante prævisum actuale exercitium libertatis creatæ, præordinaverit sub conditione hos vel illos effectus, ut si vellet amare, hoc actu, in individuo amaret; si odire; hoc, in individuo actu odiret; quia conditionata ordinatione posita; indifferens manet voluntas ad odire vel amare, licet supposito quod amet, hoc potius actu amoris sit amatura, hinc illa ipsa ordinatione non tollit libertatem. Illustratur hoc inter alia tali instantia: pau

pauperi præparatur, hic numero obolus: ut illum accipiat, vel non accipiat, liberum est illi, supposito tamen quod velit acceptare, hunc accipiet, & non alium. Ad quam responsionem stabiliendam, sic possent firmari signa rationis, magis principalia. Primò videbat Deus causas liberas, positis omnibus prærequisitis, posse agere vel non agere. Secundò obtulit causis liberis concussum ad operandum utrumlibet. Tertiò ordinavit conditione pro singulis individuis certam individuorum actuum seriem. Quartò vidit creaturam se ad talem in specie actum determinare, quid autem hic læderet libertatem? Conformiter ad dicta ubi de Prædeterminatione dici potest, quòd non sit libera voluntas in ordine ad hanc individuationem actus, vel quòd sit libera, voluntati individuationis actus non electivè, sed elicitive. De quo fuse I. part. D. 5.

Obijciuntur 6. Album A. non potest divisim efficere speciem simillimi albi B. nec intellectus Petri efficere divisim intellectionem Pauli, ergo unus idemque effectus, non potest produci à pluribus divisim causis.

RESPONDETUR. Si sit res de cognitione, non retento prædicato vitalitatis, cognitionem Pauli potest efficere Petrus, sed si sit de cognitione retento prædicato vitalitatis, jam disparitas erit, quia si retenta vitalitate, cognitio Petri posset à Paulo produci, & esset ille actus ab intrinseco Petri, quia esset actus ille retenta vitalitate à Petro oriunda, ut supponitur, & non esset ille actus ab intrinseco Petri, quia esset ab intrinseco principio, quod est ipse Paulus, vel quod est Principium in Paulo. Nullum autem simile contingit absurdum, si idem effectus à diversa numero causa ponatur.

Directè ad objectionem dici potest, quòd consequens sit verum particulariter, sed non universaliter, nempe quòd aliquis effectus non sit producibilis à pluribus causis. Porro si effectus non sunt producibiles à pluribus causis, qui dicunt intrinsecam connexionem, nonnisi cum his causis, ii autem dicunt connexionem intrinsecam cum his nonnisi causis, qui etiam per divinam potentiam, nonnisi ab his causis produci possunt, eò quòd in sui definitione hanc nonnisi importent causam, & quia actus vitalis importat principium ab intrinseco, & quidem hoc, si debeat reddere intelligens hoc, & species albi A. importat representationem non albi B. sed albi A. si ipsam rationem albi A. representare debet, hinc fit, ut hi duo & similes alii effectus non possint à pluribus causis produci, quia autem multi alii effectus non important hanc connexionem, fit, ut ab aliis causis produci possint. Addo quòd multi negent species intra se solo numero differre.

Obijciuntur 7. Ergo absolute loquendo, filius posset generare Patrem.

RESPONDETUR. De præsentis rerum ordine hoc falsum esse.

## DIFFICULTAS II.

*An due cause simul eundem effectum producere possint?*

PRÆMITTO 1. Quòd non sit difficultas de duabus causis partialibus, ut cum plures v.g. carbones, idem subiectum calefaciunt: nec item est difficultas de duabus causis diversi ordinis totalibus, nam certum fide est, Deum qui est agens altioris ordinis, concurrere cum agentibus creatis. Nec item est difficultas de causis diversi generis; nam compositum habet quatuor genera causarum, in suo genere totalium. Nec item difficultas est de causis ejusdem generis totalibus in actu primo, partialibus in actu secundo, quando scilicet causa, ita actionem suam contemperat, ut relinquat locum actioni alterius, quamvis posset sola eundem effectum producere v.g. cum duo equi trahunt pondus, quorum unus sufficeret trahendo.

PRÆMITTO 2. Difficultatem esse de duabus causis ejusdem generis totalibus in actu secundo, quando scilicet una producit pro sua parte totum effectum, & alia similiter.

PRÆMITTO 3. Possè difficultatem procedere: An id possit fieri naturaliter; deinde an id fieri possit supernaturaliter.

### Punctum Difficultatis 1.

*An id fieri possit naturaliter?*

DICENDUM est. Non possè fieri naturaliter, ut due cause totales eundem effectum causent, idque totaliter. Non est obvium, rationem conclusionis plenè satisfaciendam dare, idque propterea, quia non apparet; Cur duo Angeli saltem ad ostendendam suam libertatem, non possint concurrere, uterque totaliter ad movendum eundem lapidem; cur item duo ignes eidem stuppæ applicari æqualiter vi naturali non possint, saltem Angelicà, & quia tam unus ignis, quam alter nesciunt se agere, nec habent in potestate coercere actionem, cur unusquisque ita non agat, ac ageret quantumvis non adesset alter, quo casu idem effectus utrique causæ, in actu secundo responderet; videamus interim rationes, quæ adferri solent.

PROBAT 1. Arriaga communi argumento, quod videlicet actio illius alterius foret frustra.

RESPONDERI potest pluribus viis huic rationi; si enim nomine actionis frustra, veniat actio non cessaria simpliciter, concedo talem frustrationem; si autem nomine actionis frustra veniat actio essentialiter frustra, sic ne divinitus quidem id fieri posset, imò in hoc monstraretur quædam quasi liberalitas naturæ, & sicut licet magis horreat monstrum, quàm superfluitatem, hinc rariora sunt monstra, quàm multæ pluvix, vel magna siccitas, & nihilominus ex accidenti permittit illa natura; cur ergo non permitteret Deus duas causas saltem interdum, simul tamē agere.

PROBAT 2. Oviedo Assumptis variis principiis.

PRIMUM Principium. Duæ actiones v.g. duæ generationes, dicunt inter se impossibilitatem.

RESPONDETUR. Hoc ipsum fuisse probandum.

SECUNDUM principium. Deus & natura non determinat ad eundem effectum reproducendum, ubi jam defuerit, unde etiam non datur à privatione regressus. Ergo nec ad eundem effectum duas causas determinabit.

RESPONDERI potest. Quod antecedens videatur favere oppositis, nam etiam negatio reproductionis effectus, posset ab illis reduci non in intrinsicam exigentiam naturæ, sed in legem & ordinationem Dei, cur ergo oppositum, seclusa hac ordinatione non posset fieri. Deinde non datur à privatione regressus, propter bonum universi, ex varietate confurgens, quæ varietas, ratione termini, non esset, si duæ causæ totales agerent, esset tamen varietas ratione ipsarum causarum, duplici adeoque ad effectum concurrentium, & sicut aliqui effectus, non à solis causis univocis, sed etiam ab æquivocis producuntur; ita spectat ad varietatem universi cum ordinariè ab una totali causa, unus producatur effectus, propter varietatem procedat à duabus.

PROBAT 3. Conclusio. Imprimis quod attinet ad effectus materiales, illi non possunt simul totaliter à duabus causis produci; Ratio, quia cum effectus materiales habeant partes, non possunt simul produci, adeoque dant locum, ut suam partem, quæque causa producat. Quod attinet ad effectus spirituales, hi à nobis nulli sunt, nisi habitus, species, actiones; substantia enim spiritualis creari indiget, prædicti autem effectus non possunt totaliter à duabus causis produci, quia causa illorum effectuum est anima, vel Angelus, qui sibi est principium unicum numero.

RESPONDERI posset, quod effectum materialem possunt totaliter producere duæ causæ, quantumvis ille sit divisibilis. Cur enim eidem

minimo, non possint simul applicari duæ causæ, quo casu, una in agendo non posset præcedere aliam, consequenter, nec una post aliam successivè ageret; Quod attinet ad effectus spirituales; cur non posset homo habere duas simul alicujus objecti species, solo numero distinctas, iisque mediantibus, non posset eundem producere actum, cur non posset habere duos simul actus, ut uterque simul eundem spiritualem producat habitum, & sic de reliquis; quamvis autem actionis sit finis producere, non sequeretur quod careret hoc fine, illa duplex actio, cum utrique, licet idem, respondeat effectus.

COMMUDIUS probabitur Conclusio per hoc, quia nulla est experientia, quæ probet totaliter unum effectum à duabus causis ejusdem generis produci, & ex altera parte nullum est fundamentum positivum, quod probet, à duabus causis totalibus eundem fieri effectum. Ergo censendum est naturaliter id non posse fieri.

CONFIRMARI potest, quia uni actioni non respondent duo termini v.g. uni ignitioni, duo ignes, ergo nec duplici actioni unus terminus, non enim est potius fundamentum unius, quàm alterius.

OBJICITUR in oppositum. Duo fines totales possunt naturaliter causare eundem effectum, unde potest quis deambulare totaliter propter recreationem. Ergo idem sentiendum de causis efficientibus.

RESPONDET 1. Arriaga. Non licere argumentari ab intentionalibus ad physica. *Hæc responsio*

NON SATISFACIT. Quia finalis causa est causa Physica, licet causans intentionaliter. Cur ergo si finalis duplex causa potest eundem effectum causare, non poterit efficiens? Curque intentionalitas admittit coexistentiam aliis causæ totalis, non admittit autem efficientia.

RESPONDET 2. Oviedo. Causam finalem dupliciter spectari posse, primo respectu actus interni voluntatis. Deinde respectu actus externi, dicit itaque eundem actum voluntatis, non posse pendere à duplici causa finali adæquata, posse externum; prioris rationem dat, quia actus internus per se, & essentialiter respicit suum objectum, & per seipsum ab illo pendet, ut non possit ab ipso non pendere. Ergo actus qui pendet à duplici objecto, ita pendet ab ipso, ut non possit non pendere. Ergo ulterius à nullo pendet adæquate, eo ipso enim, quod non possit non ab utroque dependere, neutrum seorsum sumptum sufficiens est, ut illo ablato, actus subsistat, cum tamen de ratione causæ adæquate sit, posse subsistere effectum, aliâ causâ ablata; posterioris rationem dat, quia deficiente uno fine, qui est sanitas, potest eadem deambulatio imperari efficaciter à fine, qui est recreatio. &c.

*Hæc responsio*

Non

**NON SATISFACIT.** Tum quia negari potest illam deambulationem fore eandem formaliter, licet futura sit eadem materialiter, quia formaliter accepta illa deambulatio est actus humanus. Ergo importat motivum; cumque unum motivum non sit aliud motivum, sit, ut uno deficiente motivo, non sit jam unus actus formaliter, quia non respicit jam aliud motivum, per quod tamen formalisatur. Tum quia sicut est dependentia absoluta actus interni à motivo, sic est etiam dependentia ex suppositione actus externi à motivo: quae dependentia ex suppositione in hoc sita est, quia poterat hic actus, aliud motivum habere; supposito tamen quod habeat, non potest non habere; quamvis verò actui externo concedatur dependentia nonnisi ex suppositione, motivo tamen illo mutato, non manet idem actus formaliter; & sic v.g. deambulatio assumpta ex intentione recreationis est bona formaliter, deambulatio autem assumpta ad locum inhonestum, est mala formaliter. Ergo etiam non eadem erit formaliter deambulatio, deficiente alio fine. Sicut enim alia est formaliter dependentia deambulationis facta propter finem bonum, & alia propter finem malum; ita alia erit formaliter dependentia actus externi ab uno fine, & alia à duobus.

**RESPONDETUR.** 3. Negando Antecedens; & licet eadem materialiter deambulatio causari possit à duplici causa finali, non tamen eadem erit formaliter, & secundum esse causatum à finali.

Ad hanc responsionem elucidandam duo adferenda sunt. Imprimis cur si eadem deambulatio potest causari, quoad esse materiale seu reale, à duplici causa finali, non possit etiam à duplici efficienti, idem esse reale causari; deinde adferendum est; cur idem formale esse, non causetur à duplici finali causa. *Quoad primum,* ratio est quia finis non dat esse ipsum reale, sed nonnisi esse tale, non enim ratio causandi in fine, est ipsum esse simpliciter, sed bonitas, hoc est, jucundum tale, utile tale, delectabile tale; ergo & quod causat, non est esse simpliciter, sed tale esse; nam proportionantur ratio causandi, cum causato, imò si finis causaret esse, ut esse simpliciter, hoc ipso jam non indigeret consortio efficientis, transiretque finale agens, in efficiens, & certè intendit finis ipsum bonum, & non esse simpliciter acceptum. Ergo & id quod causat, est bonum, id enim causat, quod intendit; sed bonum, non est esse, simpliciter acceptum, passio enim non est formaliter id, cujus est passio. Ergo & finis non causat esse simpliciter acceptum, sit ut sive accedat, sive recedat, sive ut unum, sive multiplex, eodem modo se habeat, esse simpliciter. Quia autem causa efficiens causat ipsum esse simpliciter, sicut abscissus illius facit non esse effectum sim-

pliciter, ita & multiplicatio illius, facit ipsum esse simpliciter, seu esse materiale & reale multiplex, accedente experientià, quod unus idemque effectus totaliter non ponatur à duplici principio ejusdem rationis. *Quod secundum.*

Nempè, cur idem formale esse non causetur à duplici finali causa; ratio præter adlatas contra responsionem secundam hæc est; si duo fines totales v.g. sanitas & recreatio causarent eandem formaliter deambulationem, idem esse formale causatum à causis finalibus, haberet deambulatio, deficiente altera causa totali, ut notum est ex definitione cause totalis, sed non habet idem esse formale. Quod probatur, esse formale in deambulatione causatum à fine, qui est recreatio, deficiente hoc motivo deficit. Ergo. Antecedens probatur, si deficiente motivo hoc, quod est recreatio, esse formale in deambulatione causatum ab hoc fine, non deficeret. Ergo posset esse, hoc esse formale, sine hoc motivo: ulteriusque quod fieret propter unum finem, fieret propter omnes fines, liquidem abscedente fine, qui est recreatio & manente solo fine; qui est sanitas, habetur formale esse causatum ab illo fine, manetque esse recreationis in illa deambulatione; ex quo ulterius à pari sequeretur, quod etiam deficiente motivo, quod sit malum respectu recreationis, manebit adhuc formaliter mala, illa deambulatio.

**ADDI POTEST.** Ne divinitus quidem propter diversos fines adæquatos posse causari, idem esse formaliter, quod respiciunt diversa motiva, quia etiam divinitus ratio formalis jucundi, non potest esse ratio formalis utilis, & sicut assensus intellectus propter unum motivum, non potest esse idem, propter aliud motivum etiam divinitus, quia una specificatio non est alia specificatio, ita nec divinitus, propter diversos fines, idem esse formale respondere.

## Punctum Difficultatis 2.

*An id fieri possit supernaturaliter.*

**D**ICENDUM est *Affirmativè.* Est contra Sco-  
tistas & Thomistas, & nostrum Val-  
quez.

**PROBATUR** unico argumento. Quia id non implicat contradictionem.

**CONFIRMATUR.** Conclusio à pari. Non implicat contradictionem, ut eodem instanti Episcopus cum Sacerdote novo, finiat formam, quo posito quæro, vel uterque consecraret, vel non, si uterque, quæro, vel partialiter, vel totaliter? si totaliter. Ergo ejusdem effectus duæ cause totales adæquate, dari possunt; si partialiter; contra erit. Tum quia illa partialiter

† d 4

cau-

causare possunt (si sint ejusdem generis causæ) quæ quamvis sint causæ necessariae, temperare suum concursum possunt, ut cum duo equi temperant inter se tractionem currus, at quomodo efficacia formæ consecratiuæ, temperari potest: Tum quia si partialiter concurrant. Ergo vel una pars corporis Christi ab uno nonnisi produceretur, & altera ab alio, & sic non verificaretur forma de toto corpore procedens, & tamen consecratio infundatur verificationi. Fingamus certè fecisse Deum decretum, ut postquam duo Sacerdotes protulerint in eodem instanti formam, id quod respondet prolationi unius, in tempore immediatè sequenti definat & remaneat id, quod consecrationi alius respondit, tunc quæro: vel manebit Corpus totum, vel non manebit, si manebit. Ergo ille alter est causa adæquata, si non manebit totum corpus. Ergo ille alter non consecravit, debuit enim consecrare Corpus Christi, pars autem corporis, non est corpus; vel certè si partialiter concurrunt. Ergo partem nonnisi hostiæ consecrat, in illaque ponit corpus Christi; quod etiam dici non potest, quia hoc consecrat, quod intendit, sed intendit totam hostiam consecrare. Ergo. Neque valet si dicas, determinari id debere à Deo, in quam hostiæ parte debeat producere; id enim arbitrariè dicitur, & nonnisi ad evitandam difficultatem, nunquidnè ex suppositione hujus sententiæ, qui vellet consecrare non in hac parte, in qua designaret Deus, nunquid prolatio formæ, materiæ capacitas, intentio formata, nullum jam deberent habere effectum, ad quidque hoc Ecclesia statuit, si hujus nonnisi à Deo petenda determinatio?

RESPONDET 1. Mastrius. Quod argumentum vim habeat, si ponantur Sacramenta causare physicè, non verò si mortaliter.

CONTRA. Possunt dari duæ causæ totales morales. Ergo & Physicæ.

RESPONDET 2. Mastrius. Sacramenta sunt causæ instrumentales (supponamus physicè causantes.) esse autem plures causas totales instrumentales non inconuenit, quia non proinde multiplicantur virtutes influentes, cum instrumenta non agant propria virtute.

CONTRA. Licet instrumenta non agant propria virtute, nihilominus agunt, nec obest ut duo non agentia propria virtute, habeant rationem causarum totalium. Ergo non repugnabit ut habeant rationem causarum totalium, etiam agentia propria virtute, cum difficultas sit petita, non ex formalitate propriæ virtutis, sed ex formalitate totalis causæ, & tamen duplicis.

RESPONDET 3. Idem esse non posse à duabus causis totalibus, inducentibus formam effectivè, sic autem inducens est solus Deus.

CONTRA. Non implicat duas causas totales

instrumentaliter, esse inductivas, ergo & effectivè, non efficientia Deo debita, quia hæc nulli creatæ causæ convenit, sed efficientia debita creatis.

RESPONDET 4. Quod illa transsubstantiatio non sit productiva, sed adductiva.

CONTRA. Non implicat ut sint duæ causæ totales adductivæ. Ergo ut etiam sint duæ totales efficientes.

RESPONDEBIS 5. Quid sacerdotes debeant habere nonnisi intentionem materialiter proferendi verba, solo tunc Episcopo intendente formaliter illa proferre.

CONTRA. Quid si formaliter velint illa proferre? præcipue quia si attendatur ad sensum communem Doctorum, qui plurimum æstimari debet, formanda est intentio, de formaliter proferendis verbis, si cetera adsint, nec docent Scotistæ, materialiter illa proferri debere.

OBJICITUR 1. Duæ causæ materiales, & duæ formales, non possunt causare eundem effectum v. g. compositum etiam divinitus. Ergo nec duæ efficientes adæquatè causare.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia effectus, quod est compositum, est idem realiter cum suis causis intrinsecis, fit ut multiplicatis suis causis, non possit esse idem effectus. Quia autem effectus, non est in re causa efficiens adæquata, fit ut multiplicatis efficientibus adæquatis, non sit necesse multiplicari effectus.

OBJICITUR 2. Unus effectus causatus à duplici causa adæquata, & dependeret ab illis ut causis, & non dependeret, dependeret ut supponitur, non dependeret autem, quia dependentia significat indigentiam, quia autem ab uno habet suum esse, non potest indigere alio, quoad hoc esse.

RESPONDETUR Variis viis. In primis dici potest cum Hurtado & Arriaga, quod dependentia non significet per se indigentiam, sed per se significat productionem effectus, indigentiam autem significat, ex consequenti, idque sub disjunctione vel hujus vel illius causæ.

Deinde indigentia est nomen translatum à pauperibus, quod certè effectui non convenit nisi accommodativè.

Nihilominus etiam supposito, quod dependentia sit ista indigentia, potest dici, quod effectus prout pendens ab una causa, non indigeat alia causa; pendens autem à duplici causa, potest indigere ex suppositione, duplici causa, ex suppositione inquam, quia porerat nonnisi ab una causa recipere esse; & sicut quod fit ex duobus partialibus motivis, quæ divisim poterant esse totalia, pender ab illis ex suppositione, ita & in presenti.

Denique indigentia quæ expletur ab una causa, non ita expletur, ut hoc ipso expleatur ab omni.

omnibus, à quibus illam expleri non implicat, sed tantum explet ex parte sui; & sicut mendicus indigens obolo, si illi offeratur obolus à Paulo, expletur illius indigentia, nihilominus viam non præcludit, quo minus adhuc à Petro dari obolus possit; ita & hic, quamvis cum hac disparitate, quod distinctus obolus detur ab utroque. Denique potest hoc fieri, non ex indigentia effectus, sed ex placito Dei.

INSTABIS. Vas impletum uno liquore, non manet implebile alio liquore. Ergo & effectus causatus ab una causa, non manet causabilis ab alia causa.

RESPONDETUR. Imprimis à duobus liquoribus penetratis, potest divinitus totaliter ex parte utriusque impleri vas. Ergo & produci, potest item impleri ab uno liquore, duobus impletibus. Ergo & produci idem effectus à duabus causis totalibus.

OBJICITUR 3. Id quod est essentialiter frustra, non potest dari: sed dependentia unius effectus à duplici causa totali, esset essentialiter frustra, quia effectus, eo ipso, quod habeat existentiam ab hac causa, non habet jam quod recipiat ab alia causa.

RESPONDETUR. Effectus non recipiet tunc novum esse ab altera causa, sed idem, duplici titulo, ex vi duplicis actionis. Non esset etiam illa dependentia ex eo frustra, quia una causa per eunte, adhuc alia causa posset eundem in indiviso effectum producere &c.

INSTABIS. Illa secunda causa actum ageret.

RESPONDETUR. Si simul concurrant, non actum ageret, sed ageret quod agitur, agens id, quod tum primum fit, ad eum modum; quo causa secunda, in comparatione primæ, eundem numero effectum producens, non agit actum, sed agit quod agitur. Quod si causa altera superveniret, postquam jam altera produxit effectum, tunc superveniens causa, non posset primo producere, posset tamen simul conservare.

OBJICITUR 4. Si vera est Conclusio, sequeretur illum effectum & dependere per se à duabus causis, & non dependere per se, dependeret, ut supponitur, non dependeret autem, quia nihil dependet per se ab aliquo, quo non positò adhuc per alia, quæ tunc ponuntur, sine novo superaddito poneretur.

RESPONDETUR. Quod dependentia per se, in hoc flet, quod effectus producatur à causa ut tali, nec se habente ita, ut se habet, dum Musicus ædificat; non stat verò in hoc, quasi non possit habere esse effectus, illa deficiente. Potest alius modus respondendi adhiberi eidem argumento, quod scilicet sublata alia causa, non haberet jam effectus esse, vi duplicis causæ, & quod hoc esse vi alius causæ retinere non possit, nisi succedat alia, quæ itidem divinitus tribuat illi

effectui, esse, quamvis sublata altera causa, haberet esse simpliciter. Ad eum modum, quo causa prima, est per se causa effectus, causa item secunda est causa per se effectus, & tamen sublata causa secunda, sine ullo superaddito habebit non vitalis v.g. effectus esse, licet esse dependens etiam à causis secundis haberi nusquam possit, nisi suppleñtè aliqua causa secunda, locum alterius.

INSTABIS. Iste effectus haberet esse, quamvis altera causa non adesset. Ergo effectus non habet indigentiam alterius causæ, si non habet indigentiam, non habet dependentiam. Quod ipsum probatur; quia indigentia actualis, est ratio fundandi, aut conditio requisita ad fundandam relationem actualis dependentiæ, hinc Deus non dependet ab ullo, quia nullo indiget.

RESPONSUM SUPRA. Sublata una causa habere effectum esse simpliciter, sed non esse duplici titulo. Supposito etiam, quod indigentia esset ratio fundandi, aut conditio requisita, tamen una indigentia posset fundare plures dependentias & relationes, vidimus enim in materia de relatione, unam eandemque rationem fundandi v.g. qualitatem, fundare plures relationes similitudinis, & sicut indigentia naturæ humanæ ad terminari personam, sufficienter expletur à Persona verbi, & tamen manet terminabilis à persona Patris. Ergo idem dici poterit de effectu comparabili ad plures causas.

OBJICITUR 5. Illæ duæ causæ & essent adæquatæ, & totales ut supponitur, & non essent, quia unaquæque causaret in consortio alius.

RESPONDETUR. Esse illas duas causas totales, non per exclusionem alius causæ, sed per exclusionem alicujus partis effectus, à se non dependentis. Alii dicunt ex eo illas causas esse totales, quia consortio alius unaquæque non indiget, sed se sola est sufficiens in actu secundo, ponere effectum. Conformiter ad dicta supra dici etiam posset, neutram ex illis esse adæquatam, ut det esse duplici titulo, licet unaquæque sit adæquata, ad dandum esse simpliciter & uniter.

INSTABIS. Implicat eundem effectum, esse solum tanto concursu producibilem, & non esse solum, tanto concursu producibilem, atqui si idem effectus à duabus causis adæquatis fieret, idem effectus, & esset, & non esset solum tanto concursu producibilis. Ergo. Minor probatur, quia si quis designaret hunc influxum causæ B. & diceret, effectus est solum tanto concursu producibilis, verum diceret, si etiam de eodem influxu causæ B. diceret, hic effectus non est solum tanto concursu producibilis, verum etiam diceret, nam etiam est producibilis à causa A. Ergo.

Re=

RESPONDETUR. Attendendum esse hic ly solum cum qua particula construatur, si enim ly solum construatur cum est, ut sit sensus, est solum tanto concursu producibilis, falsa erit affirmativa, affirmabit enim, quod non nisi, cum concursu aliarum causarum sit producibilis, si autem ly solum construatur cum ly tanto concursu, vera erit affirmativa, falsa negativa, affirmativa enim ita posita constructione, hic sensus erit: quod etiam si nulla alia causa concurrat, tamen una sufficiens erit, nullo alio superaddito ad causandum effectum. Meminisse hic oportet illius paralogismi: qui potest portare viginti tantum, decem portare potest, sed qui decem tantum portare potest, non potest viginti portare. Ergo qui potest viginti, cui paralogismo est similis hic alter. Quod potest simul produci à duabus causis totalibus, ab una tantum causa totali potest produci, sed quod ab una tantum causa totali produci potest, à duabus causis totalibus non potest simul produci. Ergo quod à duabus causis totalibus potest simul produci, à duabus causis totalibus non potest simul produci.

Directè ad argumentum dici potest Negando Minorem. Probatio illius distinguitur. Qui designaret hunc influxum causæ B. & diceret, effectus est solum tanto concursu producibilis, verum diceret hoc sensu: quia se solo habet virtutem in actu secundo ponendi illum. Concedo Minorem; verum diceret in isto sensu, quod ille influxus excluderet influxum, dantem esse totaliter alio titulo. Nego Minorem.

OBJICIT 4. Pontius. Eadem causa non potest habere plures effectus adæquatos simul, & semel, licet possit habere plures tales successive. Ergo nec effectus, plures causas adæquatas simul, quamvis possit habere divisim. Antecedens inquit ab omnibus conceditur. Et probatur. Quia aliàs ille effectus esset adæquatus, ut supponitur, non esset autem adæquatus, quia ultra illum effectum, haberet alium effectum.

RESPONDETUR. Quo sensu non potest causa habere simul plures adæquatos effectus, eo sensu nec successive potest habere, quia semper in infinitum plures poterit producere, adeoque nunquam poterit habere adæquatos, & in hoc etiam sensu effectus, divinitus nunquam potest habere causas adæquatas, quia in infinitum plures possunt assumi ad eundem effectum, simul producendum; quo autem sensu causa potest successive plures adæquate effectus producere, id est à se sola productos, excludendo alias causas secundas ejusdem generis, eodem sensu miraculosè saltem, potest simul plures effectus habere, adeoque & effectus poterit simul habere plures causas.

INSTAT idem. Productivitas ita est limitata in causa in ordine ad aliquem effectum tantæ

perfectiois, ut non possit se extendere ad alium gradum ulteriorem, etiam supernaturaliter. Ergo & producibilitas ita erit limitata, ut non extendat se nisi ad talem causam simul & semel, hæc autem non alia est, nisi totalis.

RESPONDETUR. Negando Antecedens, quia lapis potest assumi ad producendam gratiam, quæ est alius gradus, licet id non possit nisi supernaturaliter, & si quæ est contradictio pro antecedenti, ea desumeretur v. g. ex vitalitate, aut alio principio nullo modo serviente ad consequens.

OBJICITUR 7. A Complutensibus apud Pontium. Actiones duarum causarum, & essent duæ, & non essent duæ, essent ut supponitur, non essent autem, quia effectus unus esse supponitur. Ergo & fieri ipsius unum est, & consequenter actio debet esse una, quia accidentia individuantur à subiecto.

RESPONDETUR. Negando accidentia individuari à subiecto, deinde *Fieri*, duplex hic potest cogitari. *Primo*, fieri activum & hoc se tenet ex parte agentis, estque duplex, *Secundo* fieri passivum, & hoc identificatum realiter ipsi effectui, unum est, sicut & effectus unus est.

INSTABIS. Quod sicut non potest esse dependentia à duplici causa, prima, ita nec possit esse à duplici causa secunda.

RESPONDETUR. Dum implicet duplex causa prima etiam successive causans, qui ab utraque simul causante poterit esse dependentia; non repugnat autem causa secunda saltem successive duplex, & si non repugnat successive, cur repugnabit simul.

## Punctum Difficultatis 3.

*Solvuntur alia argumenta.*

PRIMUM quidem ponentur argumenta ex Mastrio, postea accedemus ad argumenta recentiorum.

OBJICIT primo Mastrius disp. 8. n. 61. Si effectus à pluribus causis penderet simul & semel, tunc à neutra penderet essentialiter, vel simul ab eadem penderet, & non penderet essentialiter, quod implicat, à nullo enim aliquid dependet essentialiter, quo non existente, nihilominus esset, sed si ignis habet duas causas totales A. & B. tunc non existente A. nihilominus ignis esset à B, cum ponatur ejus sufficiens causa totalis, & non existente B. adhuc esset ab A. eadem ratione. Ergo à neutra essentialiter penderet.

RESPONDETUR. Imprimis cum per accidens sit, & non nisi supposito miraculo, ut duæ causæ totales ejusdem rationis, producant eundem effectum, immeritò assumit arguens, pendentiam

tiam essentialem. Sed quidquid sit de hoc, negatur directe sequela; & licet non possit aliquid existere, sine eo, à quo dependet essentialiter, si illud à quo dependetur, sit exclusivum alius causæ, secus si non sit exclusivum alius causæ. Rursus posset hic ostendi dependentiam essentialis, quia scilicet si det esse causa totalis A, & non det esse causa totalis B, hoc ipso dabitur esse simpliciter & uniter quoad titulum, dabitur autem pluriter quoad titulum, si plures causæ totales divinitus concurrant, non implicat autem dari esse pluriter quoad titulum, haberi que dependentiam essentialem, à pluribus causis, quoad esse pluribus titulis.

INSTAT primo idem. Dependencia per se supra dependentiam absolute sumptam, aliquam conditionem perfectivam addit, quæ esse nequit nisi necessitas, omnis enim perfectitas aliquam semper involvit necessitatem, sicut omne per accidens, aliquam contingentiam, sed hæc necessitas nequit esse absoluta, nisi respectu causæ per se primæ, quia in secundis, effectus univocus, qui est ab una, potuit absolute esse ab alia ejusdem speciei. Ergo ex hoc capite erit attendenda, quod cum actu totaliter sit, ab ista causa, virtute istius per se dependentiæ, non est tantum, quod effectus verè accipiat esse à causa, sed etiam ita necessario, ut in sensu composito, quod sit ab ea, nequeat esse ab alia, pro eodem instanti, cum Aristot. dicat de causis per se, causa in actu & effectus, simul sunt.

RESPONDETUR. Negando inter effectum, & causam esse dependentiam per se, hoc est essentialem quoad actuale esse; sed quidquid sit de hoc, directe dici potest, si effectus actu totaliter totalitate excludente influxum alius similis causæ, fiat ab ista causa, ita jam connectitur causa cum effectu, ut pro illo instanti, implicet effectum esse sine illa causa, sed si effectus actu, totaliter fiat ab hac causa, sed totalitate non excludente influxum alius similis causæ, sed totalitate solum, quod scilicet nulla sit pars effectus, quæ ab hac causa non producatur, tunc, non ita connectitur causa cum effectu, ut non possit esse effectus sine hac causa; non repugnat autem talis totalitas, & tamen non exclusiva divinitus alius similis causæ.

Deinde effectus uniter quoad titulum, ita dependet ab hac causa, ut impossibile sit illum esse sine hac causa, secus si effectus ponatur pluriter quoad titulum, non repugnat autem eum sic poni.

Auctoritas Aristot. solum vult, non posse poni actionem quin agat, adeoque quin sit effectus, sed negatur duas non posse esse totales actiones, respectu ejusdem effectus, ponibilis jam tunc, duplici titulo.

INSTAT 2. Licet effectus creatus non dependeat dependentia essentiali simpliciter, nisi à solo Deo, negare tamen eis dependentiam es-

sentialem, saltem secundum quid à causis secundis, saltem in instanti, quo fiunt ab eis, est prorsus irrationabile, imò actus vitales, ita essentialiter pendunt à suis vitalibus principiis.

RESPONDETUR. Nego hoc esse irrationabile, nec id probatur. De actu vitali alia est res, quia impossibile est actum vitalem esse, salva vitalitate, & non ab hac potentia esse, de quo in Materia de vitalitate. Possibile autem est hunc effectum esse, & non ab hac causa esse. Deinde etiam hæc dependentia concessa, dabitur effectus duplici titulo habens esse.

INSTAT 3. Effectum dependere essentialiter ab aliqua causa, non est effectum absolute & simpliciter existere non posse sine illa, nisi sit dependentia à Deo, sed significat existere non posse sine illa, à qua actu producitur, in sensu composito, quia si ab alia totaliter tunc fieret, utique ab ista essentialiter non dependeret.

RESPONDETUR. Cum possit produci effectus ab alia causa, hoc ipso falsum est, non posse sine illa causa produci effectum, adeoque non erit adhuc essentialis, dependentia actualis effectus, à sua causa; sed quidquid de hoc, casu quo effectus ab alia causa totaliter fieret, & simul uniter, nego quod tunc ab ista sola causa essentialiter non penderet, sed si uniter fieret, sed pluribus titulis haberet esse, in illo pluriter esse, dependeret essentialiter à pluribus causis. Repeti possunt alii præjacti distinctionis termini.

INSTAT 4. Quando effectus totaliter ab aliqua causa procedit, dicitur ab ea essentialiter & per se dependere, quia non potest produci in sensu composito, nisi ab ea causa, à qua producitur, & nequit existere tunc, ex vi alterius.

RESPONDETUR. Ex suppositione, quod effectus producatur non nisi ab ea causa, non potest produci nisi ab ea causa, sed nego essentialiter esse hanc suppositionem, nequitque effectus existere tunc ex vi alterius causæ, si uniter esse accipiat, secus si pluribus titulis, nec repugnat, ut accipiat esse pluribus totalibus titulis.

INSTAT 5. Dependencia effectus à causa fundatur in indigentia, quam habent causæ ad existendum. Ergo si quis in hoc instanti ita procedit ab A. ut pro ejus existentia A. non indigeat, & similiter à B, signum est à neutra per se pendere, quia conceptus dependentiæ, imbibit necessario conceptum indigentia.

RESPONDETUR. Imprimis negando esse dependentiam essentialem in actu, effectus à causa.

Rursus illa concessa, licet conceptus dependentiæ imbibat in se conceptum indigentia, nego quod ex suppositione duplici titulo acceptionis esse, non indigeat pluribus causis.

Deni-

Denique dependentiâ etiam suppositâ, involvit illa indigentiam, si aliunde non assumatur aliud ejusdem indigentia expletivum, quod assumi non repugnat.

OBJICIT 2. idem. Unus effectus dependet totaliter nonnisi ab una causa, quia dependentia totalis effectus fundatur in indigentia effectus, cum enim effectus nequeat à seipso esse, vel conservari, indiget causa efficiente, vel conservante, & quia de ratione causae totalis & adaequata est, quod exhauriat & expleat totam effectus indigentiam, hinc est, quod eo ipso, quod ab una causa totaliter dependeat, nequit ab alia simul dependere totaliter.

RESPONDETUR. Unum effectum dependere totaliter ab una nonnisi causa, si dependeat dependentia exclusiva consortii alius causae, secus si non sit exclusiva, sed inferat nonnisi nullam esse partem effectus, quae ipsa non pendeat ab hac causa. Verumque id est, si unus effectus uniter accipiat esse, secus si pluribus titulis, nam ad accipiendum esse pluribus titulis, indiget pluribus causis, indigetque effectus hac nonnisi causa, ex suppositione, quod haec nonnisi causet, non implicat autem, ne, haec nonnisi causa causet.

INSTAT 1. Implicat eundem effectum bis produci in eodem instanti, cum effectus per unam actionem totalem, simpliciter accipiat totum suum esse.

RESPONDETUR. Nego implicare ut eodem instanti effectus bis producat, hoc est accipiat esse duplici titulo, & à duplici principio, & licet ab una causa, naturaliter loquendo, accipiat totum suum esse, non implicat ut accipiat totum suum esse à pluribus causis, unde etiam assumptio illa alterius causae ad operandum eundem effectum, non est ex titulo indigentiae, sed ex titulo subjectionis, ad ordinem divinum, qui, nego quod non possit fieri in hoc genere, circa causas, ut scilicet plures causae, producant eundem effectum: aut ad maximum dabitur indigentia alius causae, ex suppositione duplici titulo accipiendi esse, & ex suppositione, auctae huius, ut ita dicam indigentiae, non mutabitur natura, sed reducetur in actum potentia obedientialis, quam nego non haberi in ordine ad hoc, ut à duplici causa, idem procedat effectus.

INSTAT 2. Longè major est indigentia, quam habet effectus respectu causae, quam corpus respectu loci, quia dependentia, quae est locati ad locum, non est simpliciter necessaria, ex parte ejus, quod dicitur dependere, sicuti est dependentia causati ad causatum.

RESPONDETUR. Cum per nos possit esse aliquid in duplici loco divinitus, poterit etiam à duplici causa totali, divinitus causari.

INSTAT 3. Si effectus ex natura sua & ab intrinseco non indiget aliqua causa ut sit, eo quod

ab alia sufficienter ponitur in esse. Ergo neque potentiam obedientialem habebit, ut ab intrinseco reddatur indigens talis causae, Deus enim pro sua voluntate, efficere non potest, ut effectus suapte naturâ pendeat ab eo, à quo non indigebat, non enim potest Deus immutare indigentiam rei, non immutata naturâ.

RESPONDETUR. Per potentiam obedientialem non potest effectus reddi ab intrinseco indigens, hoc est naturaliter indigens, Concedo: non potest reddi ab intrinseco indigens, hoc est supposito, quod per potentiam obedientialem possit esse indigens (casu videlicet quo duplici titulo accipiat esse) non potest reddi, ut actu ab intrinseco indigeat, si scilicet velit Deus illam potentiam obedientialem reducere in actum. Nego, nec tum temporis faciet Deus, ut quod suapte natura nullo modo pendeat, incipiat pendere, sed quod obedientialiter erat aptum pendere, ut actu pendeat. Non implicat autem, ut obedientialiter pendeat effectus à duabus causis. Deinde rigorosè loquendo, effectus indiget causa nonnisi ex suppositione, quod simul ab alia non producat.

INSTAT 4. ex eodem. Non potest explicari, quid sit istud accipere esse pluribus titulis, & non uniter.

RESPONDETUR. Non aliud est, nisi esse, quod si non producat ab hac causa, adhuc non erit nihil, cum producat ab alia: Si autem effectus uniter existat, si non supponatur produci ab hac causa, debet supponi esse nihil.

INSTAT 5. Sicut ponitur Ly res produci per duplicem influxum. Ergo etiam per subtractionem illius duplicis influxus bis corrumpetur, quod implicat. Quia si res definat esse ex vi definitionis, unius tantum influxus, taliter definit, ut amplius non sit, unde nonnisi semel res potest corrumpi dum existit.

RESPONDETUR. Productio quae fit à duplici causa totali, interdum potest simul habere conjunctam reproductionem replicativam, interdum non, si habeat conjunctam reproductionem replicativam, poterit desinere ex vi definitionis unius tantum influxus, ita tamen ut adhuc sit, ex vi alius influxus, & suae entitatis reproductae, sicut potest in uno loco desinere sacramentaliter Christus, in alio non desinere; si autem productio à duplici causa totali non habeat sibi conjunctam reproductionem replicativam, tunc aliud est querere; an deficiente una actione conservativa: & aliud, an si corrumpatur aliquid, vi definitionis unius conservationis, adhuc maneat non corruptum. Et quidem quod deficiente una actione conservativa, non sit necesse deficere aliam actionem conservativam, ratio est, quia id non implicat, neque enim una eademque actio conservativa desineret, & non desineret, sed una desineret, alia non desineret, cum & ipsae actiones sint in-

ter

ter se distinctæ, illique uni desinenti conservationi, responderet pro termino, non corruptum simpliciter, sed non conservatum vi hujus conservationis, quæ ponitur desinere. Sed si ponatur ob desinentem illam actionem conservativam, terminus ipse corruptus, unus idemque & non replicatus, non jam posset esse vi alius actionis. Ratio, quia de uno eodemque & non replicato termino, verum esset dicere, est & non est, quod implicat. Quia autem si concurrant duæ causæ totales, in ipso met termino, non sequetur est & non est, sed solum sequetur existentia duplici titulo, ideo adhuc non repugnabit à duabus causis totalibus, eundem effectum produci. Cæterum hoc posset, bene fieri, ut una eademque res, eodem instanti bis corrumpatur, hoc sensu, quod sicut habuit esse duplici titulo conservativo, ita accipiat non esse duplici titulo, hoc est duplici totali conservatione ablata.

QUÆRIT Mastrius: Cum hi influxus non sint ita inter se connexi, ut unus necessario cessare debeat ad desitionem alterius: cesset unus influxus alio remanente, vel desinit effectus secundum substantiam, vel non desinit? Si non. Ergo per influxum priorem non conservabatur, siquidem ex desitione ejus, nihil substantiæ huic effectui deperditur. Si desinit effectus secundum substantiam, vel ita desinit ut nihil amplius destruendum remaneat, & sic habetur intentum, quod res non possit bis corrumpi in eodem instanti, si remanet aliquid, & aliquid destruitur, signum est, quod non conservabatur id, quod remanet, ex vi illius. Ad hanc quæstionem dici potest. Concedo illos influxus non esse, ita necessario inter se connexos, ut unus necessario cessare debeat, ad desitionem alterius, unde cessante uno influxu, potest manere res, & licet si effectus conservetur uniter, & per influxum unum, illo ablato sit necesse desinere effectum, secus si non conservetur uniter. Et ratio est. Quia non implicat contradictionem, servari duplici concursu conservatio totali, quorum uno ablato non sit necesse auferri alium concursum, adeoque rem corrumpi, & si unâ desineret uterque concursus, eo casu effectus, bis eodem instanti corrumpetur, quia subtractione duplicis concursus conservativi.

Et per hoc patet quid sit respondendum ad objectionem ejusdem tertiam, inibi positam. Sed *insuper*

Obiicit 3. Nullus fingi potest casus possibilis, in quo duæ causæ totales, æqualis activitatis, & eodem modo eidem passo applicatæ, producant totaliter eundem effectum, tali enim modo ab utraque sic applicata causabitur, qualia à singulis divisim causari non potest, nam si effectus est divisibilis secundum perfe-

ctionem, tunc perfectior effectus ab utraque exi-  
bit, quam non exiret ab altera seorsim ut duo  
luminosa eidem diaphano applicata, producant  
intensius lumen. Si verò effectus sit indivisi-  
bilis secundum perfectionem, tunc idem qui-  
dem effectus prodiret, sed non eodem modo,  
nam ab utraque erit citius & in majori distantia.  
Si denique constituatur casus, quod effectus sit  
indivisibilis, & etiam indivisibiliter producibi-  
lis, v.g. casu quo duo ignes applicentur ad ma-  
teriam ultimo dispositam, in tali casu duo illi  
ignes duplicem formam producent in eadem  
materia, cum enim virtus amborum si-  
mul sumpta, sit major extensive quam al-  
terius tantum, poterit attingere duplicem  
formam.

RESPONDETUR. Non repugnat, ut effectus  
divisibilis secundum perfectionem, applica-  
tis duobus agentibus totalibus, non exeat per-  
fectior, sed ut à duplici luminoso, idem lumen  
causetur, non repugnat item, ut idem effectus  
indivisibilis, nec citius, nec in majori distantia,  
à duabus causis totalibus producat. Non re-  
pugnat ut applicati duo ignes eidem materiæ,  
ultimo dispositæ, non duplicem formam,  
sed unam, ab utraque totaliter causatam in-  
ducant.

#### *Continuatur solutio.*

Obiicit 4. Repugnat duplex finis ad æqua-  
tus in actu secundo respectu ejusdem actus vo-  
luntatis. Ergo etiam repugnabit duplex cau-  
sa totalis in genere efficientis respectu ejusdem  
effectus.

RESPONDETUR. Circa actum voluntatis  
elicatum ex duplici motivo duo spectari pos-  
sunt: primo objectum actus, & sic nego ad vo-  
lendum objectum actus, non posse moveri  
voluntatem duobus motivis v.g. Nego volun-  
tatem moveri non posse ad deambulationem,  
duplici motivo sanitatis & recreationis. Si  
tamen quæras: an in ipso objecto utrique mo-  
tivo eadem sit responsura formalitas. Jam  
dici debet, quod implicet in objecto eandem  
tunc formalitatem respondere.

RATIO. Quia sicut esset confusio essen-  
tiarum, si formalitas recreationis esset formalitas  
sanitatis, & si unum, esset aliud unum, hoc ipso  
enim non esset aliud unum: ita est impossibile,  
ut respondeat formalitas sanativi ad motivum  
recreationis, & formalitas recreativi ad moti-  
vum sanitatis, nam appetentiæ sanitatis respon-  
det sanativum, & si non responderet, nihil respon-  
deret & ad appetentiam recreationis, responderet  
recreativum, & si non responderet recreativum,  
nihil responderet. Deinde spectari potest ipse  
actus, & quidem dupliciter, imprimis spectari  
potest actus voluntatis in quantum est voluntas  
† e obje-

objecti, & sic fieri potest, ut ex duplici totali motivo pendeat volitio, ut scilicet deficiente motivo sanitatis, sit expedita voluntas habere tantum intentionem recreationis. Et in hoc nulla est repugnantia. Deinde spectari potest actus voluntatis, in quantum est respicientia utriusque motivi, & sic potest quidem actus voluntatis duplici motivo totali mo veri, dicto sensu, sed non ita, ut abscedente motivo, maneat idem actus quoad respicientiam motivi, quia & maneret idem actus quoad respicientiam motivi, ut supponitur, & non maneret, siquidem jam non respiceret illud motivum, illud enim respicit motivum, quo movetur, supponitur autem jam non moveri illo secundo motivo, & tamen illi est secundo essentialis hæc respicientia. Quia autem nihil simile dici potest, casu quo idem effectus producatur à duplici causa totali, ideo hoc non repugnat, quamvis prius illud repugnet.

Concedo quidem actum, esse seipso affixum motivo cui innititur, adeoque uno ablato non mansurum eundem actum, quoad innitentiam illi motivo. Nego tamen non posse esse eundem hoc sensu actum, ex duplici motivo, in quantum deficiente alio motivo, parata est voluntas, ejusdem tamen objecti, habere intentionem, & hoc signum est causalitatis totalis, nam deficiente una præmissa, quæ est causa partialis, non est anima expedita, habere assensum conclusionis, ad quem ipsa est expedita, si aliàs medius terminus, seu duplex præmissa, quæ est causa totalis, concurrat. Hinc requirentia utriusque motivi, ita se habet sicut visio Petri, quæ non est visio Petri, si non videat Petrum, ita non est respicientia utriusque motivi, si non addit utrumque motivum movens, sed volitio simpliciter objecti, non ita se habet, quia non dicit istam respicientiam essentialem ad hoc motivum. Concedo ex duabus causis totalibus in actu secundo, ablata una, non deficere effectum, adeoque ablato uno motivo non defuturum actum, qui sit volitio finis, licet sit defuturus actus, qui sit respicientia utriusque motivi.

OBJECT 5. quidam. De conceptu essentiali actionis est, ut per ipsam ponatur aliquid præter ipsam, cum actio non sit finis, sed si sit essentialiter medium ad ponendum effectum, sed si simul daretur duplex actio totalis, ejusdem effectus, per alteram actionem nihil poneretur, præter ipsam. Ergo repugnat duplex actio totalis ejusdem effectus. Major patet. Minor probatur. Quia quæ actio illud solum ponit esse, quod totum aliunde & totaliter habetur, illa nihil ponit præter se ipsam, vel sic. Per illam actionem nihil ponitur præter ipsam, quæ ablata nihil aufertur præter ipsam, atqui per alteram actionem illud solum esse poneretur, quod totum & totaliter ponitur per primam

actionem, atque ablata altera actione, nihil prorsus auferretur præter ipsam, siquidem adhuc maneret totus effectus & totaliter, ex vi alterius actionis remanentis. Ergo per alteram actionem, nihil prorsus poneretur, præter ipsam.

RESPONDETUR. Majorem non patere, quia de illa dubitatur à multis in actione vitali, quid enim producat actio, quæ est visio. Sed de illa alibi: in præsentia negatur Minor. Et probationis illius Major. Nego enim, quod illud, quod ponitur totaliter ab una causa, non possit alia poni, ita ut præter seipsam, illa actio ponat, etiam illud aliud, quod cæteroqui ponit etiam alia actio, sicut eandem deambulationem ponit in suo genere & motivum sanitatis, & motivum recreationis, & quidem ut supponit obiciens totaliter, nam censet ipsam actionem externam, posse pendere à duplici motivo totali, actioque illa potest intendi prudenter à Deo ut medium Quo, & permissio etiam, quod quidquid boni finalis adfertur à duplici actione, adferatur ab una, non sequitur, quod duplex actio non possit intendi ut medium Quo. Ponendoque esse, quod aliunde ponitur uniter, præter seipsam ponit illud esse pluriter quoad titulum, nec id repugnat.

OBJECT 6. Maurus disp. 23. Si effectus produceretur per duplicem actionem, ex se sufficientem, sequeretur, quod neutra produceret esse effectui. Ergo. Sumo enim productionem A. & ab hac effectus non accipit esse, quia implicat quod res accipiat ab altero id, quod aliunde habet sufficienter, sed effectus habet sufficienter esse à causa B. Ergo non accipit esse ab actione A. eodem modo probatur, quod non accipiat esse ab actione B.

RESPONDETUR. Negando sequelam, negoque implicare quod res accipiat ab altero id, quod aliunde sufficienter accipit ab altero, si illud esse debeat habere duplici titulo, nec repugnat, ut illud duplici titulo habeat.

OBJECT 7. idem. Deus operatur per omnes & singulas actiones causarum secundarum, cum ipsa actio causa secundæ, sit etiam actio Dei. Ergo Deus actione sua, bis idem efficeret.

RESPONDETUR. Negando implicare, ut ratione duplicis concursus, duplicis causæ totalis, dicatur Deus bis idem efficere, nec repugnat, ut de facto producat.

Nego ulterius si simul una causa cum altera concurrat eaque totalis, quod actum ageret, & non implicat, ut simul concurrat.

Nego quod si simul det Deus duo auxilia, sit daturus auxilium ad obtinendam victoriam, aliunde comparatam, & non implicat, ut simul det duo auxilia.

Nego.

Negoque ulterius hæc non esse conformia, modo operandi divinæ sapientiæ, nec hæc sunt absurda, quorum implicantia non ostenditur.

Recurri etiam hic potest ad dicta, quod duplici titulo accipitur tunc esse, nec dationem esse titulo causæ B. adfert datio esse titulo A.

## QUÆSTIO II.

*An causæ se invicem causare possint in eodem genere.*

**PRÆMITTO 1.** *Posse quæstionem procedere tam de causis ejusdem generis, quam de causis diversis generis, causæ ejusdem generis sunt, ut materia, & materia, efficiens & efficiens; & causæ diversi generis sunt, ut materia comparata ad efficiens &c.*

**PRÆMITTO 2.** *Circa causas ejusdem generis consentire omnes, quod tam materia quam forma in eodem genere causare se non possint.*

**RATIO.** Quia quod materia est, semper primum subjectum est, adeoque nunquam in alia materia receptibile. Idem dic de forma, quæ quia actus est, non potest esse actuatum. Disquirunt tamen Oviedo, non de materia sed de causa materiali. An v. g. color receptus in quantitate, hoc ipso impediatur ad recipiendam quantitatem, quia est receptus ab illa supposito, quod calor aliàs haberet virtutem recipiendi quantitatem, sed de hoc infra in simili. Posito tamen consensu prædicto circa materiam & formam, de causis ejusdem generis efficientibus, restabit difficultas.

**PRÆMITTO 3.** *Circa causas diversi generis certum est, quod causa finalis causet efficientem, efficiens finalem.* Restat difficultas de aliis combinationibus causarum.

**DICENDUM est.** *Non dari mutua causalitatem in eodem genere, quoad primum esse.* v. g. ignis A. producit ignem B. ab eodem igne primo esse, etiam divinitus accipere non potest. Pro quo adlatas rationes plures refutat Arriaga, adferendæ sunt hic aliquæ, ut seligatur quæ placuerit.

**PROBAT 1.** Arriaga. Nihil potest constitutere actum primum suum physicum productivum successive, sed si daretur mutua causalitas, aliquid constitueret actum suum primum physicum. Ergo. Major probatur, quia nihil potest esse productivum sui ipsius, saltem quoad primum esse.

**PROBAT 2.** recentior Suarez. Causa præsupponitur præexistens suo effectui, & repugnat præexistere illi à quo ut existat dependet, si enim ut existat dependet ab illius existentia, quomodo existit ante illum.

**PROBAT 3.** Lugo disputat, de sacra. 8. Sect. 7. id quod prius est naturā, non potest esse posterius naturā, sed si causa acciperet primò esse à suo effectui, id quod prius est naturā, esset posterius naturā. Ergo. Major probatur, quia nihil potest esse prius & posterius duratione. Ergo nec naturā.

**PROBAT 4.** idem. Nemo potest dare primum librum Petro, quem nunc primò accipit ab ipso, illud enim non esset dare, sed reddere. Ergo à fortiori in Physicis, nemo potest dare alteri esse, à quo primo accipit esse.

**PROBATUR 5.** Conclusio. Si effectus posset dare primò esse suæ causæ, vel daret priusquam esset existens, vel daret, dum jam est existens, neutrum dici potest. Prima pars probata, aliàs, quia scilicet id, quod non existit causare non potest, & insuper per hoc probari potest, si effectus antequam esset existens, daret primò esse suæ causæ, & effectus daret primò esse suæ causæ, ut supponitur, & non effectus daret primò esse suæ causæ, quia nondum supponitur esse tunc effectus, quia nec existens. Secunda pars, nempe quod effectus postquam jam est existens, non possit dare, esse primò, suæ causæ sic probatur. Vel supponitur jam causa habere primò esse, vel non supponitur, si non supponitur. Ergo non supponitur etiam accipere esse ab effectu, siquidem illum effectum, utpote non existens adhuc causa primò, non produxit, si autem supponitur habere primò illud esse. Ergo esse quodcumque accipere potest à suo effectui, jam non est primò esse, sed habet esse secundo, unum enim duplicatum, facit duo. Idem probatur hoc expositorio, qui antequam formetur appelletur causalitas produciens ignem A. nomine causalitatis C. & causalitas qua effectus produceret suam causam appelletur causalitas B. Hæc prima causalitas, est causalitas C. hæc causalitas B, non est causalitas C. Ergo hæc causalitas B, non est prima causalitas. Ergo nec illi respondet primò causatum, eritque argumentum in Camestres æquivalenter.

**RESPONDET 1.** Quidam, quod causa supponatur habere primò esse, sine illo ly: Jam, posito in quinta probatione, quod: Jam, præcedentiam unius in esse, ante aliud denotat, & quidem ab effectu in eodem instanti, in quo effectus supponitur habere primò esse à causa, de quo est porissimum quæstio.

**CONTRA.** In casu in quo disceptatur, debet causa supponi primò esse, cum isto: Jam, quia debet supponi prior naturā, vel prior intelligibilitate fundata supra suum esse, præ suo effectui, idque ex eo, quia impossibile est concipere causam, sine ulla prioritate, adeoque sine ullo: Jam. Hinc restauratur argumentum. Pro illo priori, causa ante effectum, jam habet esse, idque ut supponitur primò. Ergo pro posteriori signo, si accipit esse ab effectu, jam

† c 2 non

non accipit esse primo, cum illud præhabuerit. Hinc videtur responsio supponere, quasi procedat effectus à causa, sine ulla ante effectum prioritate, quia sine ullo: Jam, ante effectum.

RESPONDET 2. Argumento in Camestres proposito, debere talem potius addi Conclusionem. Ergo causalitas B, non est hæc prima causalitas.

CONTRA. Tum quia in omni expositorio, particula expositorii *Hæc*, non ponitur pro prædicato Conclusionis. Ergo neque hic poni debuit. Tum quia. Si ponatur argumentum in Barbara, prædicato Conclusionis, non debet apponi particula universalis, sed subiecto, nec in Minori prædicato ejusdem, licet in Majori habuerit appositum sibi *Ly* omnis. Ergo & in Expositorio, non debet signum expositorii apponi prædicato Conclusionis, sed subiecto, sed concessio etiam, quod contra usum arguendi, deberet in expositorio, particula expositorii addi, prædicato conclusionis, parum intererit, quia, cum subiectum, & prædicatum expositorii, æque late patere debeant, parum intererit, quod apponatur prædicato Conclusionis. Tum quia etiam formando ita propositionem. Ergo causalitas B, non est hæc prima causalitas, stat in robore argumentum, quia si causalitas B, quæ est causalitas ab effectu profecta, supponit habere causam Esse, pro priori, quo antecedit effectum, jam illi non dabit primo esse, sed secundo.

RESPONDET 3. Alia est prima causalitas, & quidem hæc B, quæ supponitur produci causa ab effectu, quoad primo esse, & alia est causalitas prima, & quidem hæc C, quæ supponitur in eodem instanti, produci effectus à causa, quoad primo esse. Sicut si Deus homines, vel Angelos duos primo produceret, hæc prima productio, non esset illa prima productio, utraque tamen esset prima productio absolute.

CONTRA. Tum quia videtur responderis, non petere hoc, quod in hoc præsentis dicitur; nam non agimus, de causalitate, quæ causa producit effectum, & de causalitate, quæ effectus producit causam, sed agimus, de causalitate, quæ producit ipsa causa, ut possit præsupponi, prior suo effectui, adeoque cum illo: Jam, antecedentia, & de causalitate, quæ effectus jam productus, eandem causam producat, dicimus enim si illa causalitas, est prima, & præsupposita ante causalitatem oriundam ab effectu, quomodo erit causalitas prima? Tum quia. Concedo, posse esse duas primas causalitates, productivas, quoad primo esse, duorum hominum, eo quod una productio non debeat præintelligi, habereque aliquod suum: Jam, ante aliam productionem, sed quia productio prima causa, seu primum illius esse, debet præintelligi ante effectum, quomodo jam effectus dabit primo esse. Tum quia si supponatur prima cau-

salitas: quæ effectus, accipit esse à causa sine ulla præcedentia, & sine ullo: Jam, posset utique intelligi, quod ab effectu, possit accipere primo esse, sed quia debet causa præintelligi cum suo esse ante effectum, adeoque intelligi cum causalitate ad se terminata, si causa non sit à se, quomodo intelligi poterit, accipere primo esse ab eodem effectu.

Cum hoc tamen stat. Quod effectus divinitus possit dare suæ causæ secundo esse.

RATIO. Tum quia id non implicat contradictionem. Tum quia ut dictum supra, idem potest sibi ipsi dare secundo esse. Ergo multo magis effectus poterit facere. Tum quia à duabus causis totalibus, non repugnat causari eundem effectum. Ergo nec repugnabit etiam ab effectu accipi secundo esse, nulla enim specialis est repugnantia in consequenti.

### QVÆSTIO III.

*Quid de causis in diverso genere.*

DICENDUM. Postquam causa diversi generis una, tribuit esse alteri, potest, ab eadem recipere aliquam formalitatem, quæ non præsupponebatur ante habita.

PROBATUR Conclusio instantiis. Nam causa materialis causat formam educatam, à qua tamen accipit esse informatam. Scientia producit operationes prácticas, quæ in genere efficientis posteriores sunt scientia, & tamen in quantum sunt objectum scientiæ, priores sunt illa, specificantque illam. Actus Dei liber, est causa creaturarum, quæ tamen per modum connotati libertatem illius salvant.

Sunt instantiæ in oppositum, quæ videntur probare, quod causa diversi generis, se causent etiam quoad esse, quod præsupponitur ante effectum, seu quoad esse, quod ipsum, est causa, & quæ causa est effectus.

PRIMA instantia. Ingressus aeris causat apertionem fenestæ, apertio fenestæ causat ingressum aeris.

RESPONDETUR communiter. Quod apertionem fenestæ causat impulsus aeris, quem impulsus aeris non causat apertio fenestæ, licet autem non æque facile intraret aer nisi aperiretur fenestra, inde tamen non sequitur ingressum aeris causari ab apertione fenestæ, nam ut ait Lugo citatus, major virtus requiritur ad ponendum peccatum perseverante gratia habituali, quam ablatio gratiæ, nec tamen inde sequitur, quod ablatio gratiæ juvet, & concurrat ad ponendum peccatum, deinde existentia ingressus aeris antecedit apertionem fenestæ, & impossibili apertione fenestæ, existentia ingressus aeris existeret, ut si

ut si penetrare posset aer fenestram, licet non aperiretur, quamvis apertio aeris adferat commoditatem ipsi ingressui.

SECUNDA instantia est. Prius est introduci formam novam, quam expelli veterem, & in alio genere, prius est expelli veterem, quam introduci novam, alias in eodem instanti duæ formæ essent in eodem subiecto.

RESPONDET Lugo. Expulsionem formæ veteris, esse quidem connexam, sed non est necesse inferre, quod sit prior. Sic expulsio gratiæ est connexa cum peccato, nec tamen est prior peccato, alias contra Tridentinum. Deus gratia sua prius nos deferret, quam deferretur, & sicut à negatione risibilitatis possum argumentari ad negationem rationalitatis, nec tamen inde sequitur esse priorem risibilitatem rationalitate. Sic etiam non sequitur, priorem esse expulsionem veteris formæ, introductione novæ.

Conformiter ad Conclusionem dici potest, quod existentia introductionis formæ, non causetur ab expulsionem veteris, quamvis hæc expulsio conferat commoditatem connaturalem &c. formæ introductæ, & sicut connaturale est, ut sanitas excludat ægritudinem, ægritudo sanitatem, nec tamen ægritudo causat sanitatem, ita & hic.

TERCIA instantia est; Baculus A & baculus C. pyramidaliter collocati sustinent se adinvicem. Ergo adinvicem causant, ne cadant.

RESPONDETUR. Cur baculus A. non cadat, est causa gravitas ipsius non potens superare oppositum baculum C. rursus cur baculus C. non cadat, causa est gravitas illius non potens superare baculum A. quamvis adinvicem conferant fibi aliquid.

QUARTA instantia est. Si aliquis decernat non movere sinistram, nisi moveat dextram, & è contra, quies sinistræ causabit quietem dextræ, & dextræ quies, causabit quietem sinistræ.

RESPONDET Lugo. Non raro fieri ut quæ dependent ab eodem principio, illa necessario conjungantur, sine ulla dependentia & prioritate, sic Sacerdos simplici voluntate volens consecrare duas hostias, non poterit consecrare unam sine alia, nec tamen in consecratione illarum, est mutua prioritas, licet sit connexio, ita

in presenti. Addit, attendendum esse ad actum voluntatis, si enim dicat nolo movere sinistram, quia nolo movere dextram, nolitio motus sinistræ prior erit nolitio motus dextræ.

Conformiter ad positam conclusionem dici potest. Negando quietem sinistræ causari à quiete dextræ, sed causabitur intrinsecè ab ipsa natura, extrinsecè à defectu voluntatis, despoticè potentis famularibus imperantis, licet quies dextræ, sit quid connexum, & conferens aliquid, quia scilicet nisi adesset illa quies, poni deberet actus imperans motum etiam sinistræ.

QUINTA instantia est; Impulsus causat motum, motus etiam impulsus, si enim desinat motus propter oppositionem durioris, desinet impulsus.

RESPONDETUR. Impulsus causat motum, est enim qualitas ad hoc ordinata, sed motus nego quod causet impulsus, quando autem desinente motu desinit impulsus, non fit ex eo, quod desinat causa aliqua, sed desinit per oppositionem insuperabilem ab impulsu, consumiturque illius vis, quamvis motus conferat aliquid bonum impulsui, & quamvis in medio motu velocior sit impulsus, ejus tamen velocitas, non debet referri in ipsummet motum, sed quia in medio non est tanta resistentia gravitatis, quæ post medium, iterato resumit vires, restringitque impulsus, naturæ suæ sine conservativo defectibilem &c.

SEXTA instantia est; Carbones ad invicem se calefaciunt; aer item circumpositus causatur ab illo calore, & causat eundem.

RESPONDETUR. Ignis qui est in carbone A. accendens ignem B. non producit ab ipso igne B. Sed præsupponitur, licet se juret ad agendum circa, idem dicendum de aere. Conservatio ergo illius caloris, dicit in unoquoque entitate caloris, dicit negationem excessus frigidi & Deum, qui tanquam Auctor naturæ servat calorem, cum non adest oppositum, quod oppositum non esse caloris requirat, sine ulla mutua causalitate. Idemque dicendum de temperamento, quod antecedit formam, quod conservatur posita forma, cujus conservatio in eadem principia rejicienda, in quæ rejecta est à nobis conservatio caloris.